

ut materia, altera ut forma, vel ut potentia actus, alias qualitas informaret qualitatem, tanquam forma materiam, neque illa quæ se haberet ut materia, esset activa et operativa per se, sed solum quando haberet actum suum, quo informaret, cum tamen videamus quod tam pars remissa caloris, quæ videtur esse materia, quam intensa, quæ videtur esse forma operativæ sint, et actuales. Partes autem integrales esse non possunt, tum quia forma ex illis partibus non potest esse composita, quia de ratione formæ est, quod sit principium compositi, non autem principiatum et compositum, sed simplex principium; tum etiam quia specialiter repugnat formæ, seu qualitati compositio ex partibus integrantes, partes integrantes sunt materiales, et ratione materiæ conveniunt, ut infra dicemus questione IX, eo quod partes integrales conveniunt in forma, et differunt penes quantitatem, siquidem sine qualibet illarum salvatur quidditas, et substantia rei, et sic additio partis integralis non facit additionem formæ. Cum autem forma sit id, quo aliquid constituitur tanquam principium, additio formæ per modum partis integralis non addit rationem formæ, sed potius materializat ipsam formam, et multiplicat secundum aliquid materiale non formale, et sic non facit formam perfectiorem, et magis talem in ratione formæ quod pertinet ad intensionem, sed materialiter multiplicatam, quod pertinet ad extensionem. Nec potest dici, quod sint partes integrales similitudinarie, eo modo quo in virtutibus assignantur partes integrales a D. Thomæ Theologis II-II, quæst. XLVII et q. CXXXIII et q. CXLIII. Etenim istæ partes integrales non intendunt virtutes, sed important conditiones quasdam, vel dispositiones, seu habitus adjunctos principaliori

virtuti, dantes diversas operationes, et hæc etiam in virtute remissa inveniri possunt, sicut temperantia habet honestatem, et verecundiam; fortitudo fiduciam, et magnificenciam; prudentia memoriam, docilitatem etiamsi sint remissæ; qualitas autem intensa, et remissa non ita differunt, sed utraque habet eandem rationem activitatis, vel operationis, licet non eundem modum perfectionis, non tamen una se habet ut conditio, vel dispositio ad alteram.

Denique, probatur conclusio, quia multiplicatio entitatum, quanto minor fuerit, tanto est convenientior naturæ, si ergo non fuerit impossibile, neque inconveniens, quod sine additione formæ, et entitatis novæ fiat intensio, talis additio non erit ponenda: quod autem hoc non sit impossibile, neque inconveniens probabitur amplius conclusione sequenti, ubi ostendimus posse fieri perfectiorem unionem alicujus formæ sine additione novæ entitatis, idque magis explicat unitatem, et simplicitatem formæ, quia quanto minor fit additio tanto est simplicior in entitate, licet sit multiplex in intensionis, quod forma eadem manente fiat perfectior, et virtuosior, ergo si hoc potest fieri per majorem communicationem sui ad subjectum, sine additione novæ entitatis, convenientius hoc erit ad naturam intensionis.

DICO SECUNDO: Intensio non fit per additionem alicujus novi modi præbentis formæ novam vim informativam, seu novam rationem formalem informandi, sed novam explicationem ejusdem formæ in subjecto tollendo confusionem, et potentialitatem ipsius et reducendo illam ad majorem unitatem, et subjectum, magis subijciendo ad talem formam, ex hoc autem consequitur, quod si

habuerit contrarium, expellat illud, non tamen in hoc formaliter consistit intensio. Ita sumitur ex D. Thoma in I, dist. XVII, quæst. II, art. II ad 3, ubi inquit: « Quod non est de ratione intensionis alicujus qualitatis, quod sit per remotionem a contrario, sed hoc accidit qualitati secundum quod est in subjecto participante contrarium, sed hoc est de necessitate intensionis, ut qualitas educatur de imperfecto ad perfectum, sicut patet in diaphano, in quo nihil est contrarium luci, quod potest lumen intendi secundum incrementum virtutis dominantis. Hæc autem imperfectio est ex potentialitate ipsius naturæ, quæ subijcitur perfectioni et actui, cum enim omnis potentia receptiva ad multa se habeat secundum istam multitudinem ipsius dissimile est principio agenti, quod est terminatum ad actum unum et secundum quod ista conjunctio potentialitatis magis subijcitur actui, perfectior perfectitur actus, et ipsum perfectum magis efficitur unum, et magis assimilatur principio agenti. » Ita D. Thomas, qui etiam in II-II, quæst. XXIV, art. V, in corpore, et ad 3, explicat istam intensionem fieri per hoc quod subjectum magis reducat in actum, et per hoc quod forma magis insit subjecto, et quod fieri majorem ipsam formam, est eam magis inesse susceptibili, non autem aliam formam advenire.

Ut fundamentum hujus conclusionis tradatur, et explicetur, duo facienda sunt. Primum, ostendere quod non repugnat unionem, et communicationem formæ ad subjectum, habere latitudinem, et posse variari sine hoc quod addatur nova entitas formæ. Secundum, quod modus iste non debeat addere novam vim informativam, sed novum modum communicationis, et unionis. Primum constat aliquibus exemplis,

nam videmus quod eadem quantitas sine additione partium, et quantitatis novæ potest mutare terminationem, et modum existendi in subjecto, ut infra dicemus questione septima, sicut fit in rarefactione, et condensatione. Similiter forma substantialis animæ sine additione novæ entitatis potest se diverso modo explicare et uniri materiæ advenienti per nutritionem, et in una parte unum effectum præbere in alia alium, ut in oculo dat potentiam videndi, in manu tangendi, et potest privari uno effectu et non alio, et rursus effectum illum quem perdidit præbere, si materia debite disponatur. Similiter ergo non repugnat quod eadem qualitas, diverso modo subjectum actuet communicatione sua, et diverso modo explicet suos effectus in materiam secundum latitudinem quam habet; cujus signum est ipsa contrarietas formarum, quæ potest magis perfecte, vel imperfecte tolli. Itaque non repugnat totam formam communicari subjecto, sed non totaliter, et secundum omnem modum, vel effectum, quem potest illi præbere, et sic magis vel minus assimilare sibi subjectum, et reducere potentialitatem ejus ad unitatem actualitatis, sicut etiam totus Deus videtur a quolibet beato, sed non totaliter, ideoque potest diverso modo uniri, et se communicare sine additione entitatis per majorem explicationem ejusdem. Similiter in gratia videmus, quod unita uni subjecto explicat aliquem effectum, v. g. facere filium adoptivum, quem in alio subjecto ut in Christo propter incapacitatem personæ facere non potest. Et species visibilis in aere non reddit informatum subjectum representative, et intentionaliter, sed solum entitative, in oculo autem etiam intentionaliter informat sine ulla additione entitatis, et similia multa alia exempla suppetunt, quæ

manifeste ostendunt eandem formam sine additione entitativa posse explicare diversos effectus formales, vel eundem diverso modo, propter diversam dispositionem subjecti, quæ diversimode subijcitur formæ. Imo addo quod etiamsi intensio fieret per additionem formæ ad formam, adhuc necesse esset variari unionem siquidem cum accrescit una pars ad alteram partem, et ex utraque fit una forma, non potest illa unio, quæ ante uniebat, et solum modificabat formam antecedentem modificare, et afficere illam novam formam, quæ ex utraque conflatur, ergo oportet novam unionem dari, sicut et novam formam conflare, nisi forte dicatur manere plures uniones partiales diversarum partium ejusdem formæ, quod tamen non tollit dari unicam totalem, quæ ex omnibus constatur, sicut datur unica forma quæ ex omnibus illis partibus fit, unio autem correspondet formæ, ergo sicut formalis totalis est diversa, ita oportet talem unionem variari.

Secundum vero explicatur, quia in defendenda sententia D. Thomæ duo sunt modi dicendi. Quidam enim ponunt, produci per intensionem novum modum, qui non solum se tenet ex parte unionis, sed etiam ex parte ipsius formæ, seu principii informativi, ita quod addat illi novam actualitatem, et vim informandi perfectius, quam sine illo modo, et hunc modum distinguunt ab ipsa unione, et ab existentia, et inhærentia, vocantque illum modum radiationis. Et fundamentum est, quia nulla forma potest præbere effectum formalem perfectiorem, nisi in se ipsa, et tanquam principium quo sit perfectior, et actualior, sive entitativa, sive modaliter, ergo præter unionem oportet, quod forma ipsa perfectior reddatur, et actualior per modum, qui ipsi formæ det vim, et

actualitatem informandi. Alii vero dicunt, quod modus qui de novo producit, seu resultat per intensionem non addit aliquid actualitatis, et rationis informativæ ipsi formæ, sed solum tenet se ex parte unionis, et explicationis ipsius in subiecto.

Primus modus dicendi non ita est conveniens, neque perfecte videtur salvare sensum D. Thomæ, sed videtur ex parte relabi in sententiam impugnatam de additione entitatis ad formam, quæ intenditur ut intensior reddatur. Etenim si ipsa forma quando redditur intensior, accipit majorem vim informativam tanquam rationem formalem, ergo accipit additionem formæ, siquidem vis informativa non est aliquid superadditum formæ, sed ipsa entitas, et actualitas formæ, non enim forma informat et causat effectum suum formalem per aliquid superadditum sicut efficiens per virtutem superadditam efficit, sed per communicationem suæ actualitatis, et entitatis causat formaliter, ergo idem est accipere majorem vim informandi, quod accipere novam actualitatem, seu entitatem formæ. Et hoc est quod opposita sententia dicit, scilicet fieri intensionem per additionem formæ, seu entitatis. Et confirmatur, quia ille modus non potest perficere vim informandi, quæ erat in qualitate remissa, addendo ei virtutem informativam accidentalem, et distinctam ab entitate formæ, nec enim forma causat nisi per communicationem sui non per virtutem additam ut efficiens, ergo per hoc quod ille modus se habet ut forma, seu formalis ratio dans effectum formalem intensionis, cum tamen remissa forma det effectum realem per aliquam realitatem, quod stare non potest, cum forma intensa tota sit qualitas simplex, non partim qualitas, partim modus, et effectus

correspondentes formæ ut intensæ reales sint, non modales tantum, sicut quod sit dispositio ad formam substantialem, quod majores effectus operetur, etc. Ergo correspondent principio reali non modali. Denique, si intensio in ratione intensionis formæ est modus, cum non sit major ratio de isto gradu quam de illo, omnes enim gradus per intensionem crescunt, sequitur quod omnis gradus præsertim certus, et aliquotus erit effectus formalis alicujus modi, et reliquum præter omnes gradus erit effectus entitatis formæ, quid autem est illud quod restat præter omnes gradus in qualitate; certe nihil. Similiter in hac sententia forma non intenditur secundum eandem formalem rationem, sed unus effectus formalis ejus erit realis, et quasi essentialis proveniens a reali entitate formæ, alius modalis, et non entitativus, scilicet qui pertinet ad argumentum, et sic non sunt effectus formales ejusdem omnino rationis, nec dicitur proprie intendi forma, quia non perficitur in ipsamet ratione formali priori, ut realis est, sed aliam accipit de novo, quæ modalis sit. Quare hæc sententia non multum recedit ab ea, quæ ponit partes entitativas secundum additionem gradus ad gradum, siquidem admittit, quod forma dans effectum formalem remissum, non habet in se sufficientiam, quantum ad ipsam vim formæ, seu rationem formalem præbendi effectum intensum ut tenet se ex parte formæ, sed indiget additione novæ rationis formalis, licet ponat illam in novo modo, non in nova entitate formæ.

Si vero ille modus ponatur tanquam conditio, non ut ratio formalis informans, talis modus non potest distingui inhærentia, ab ipsa communicatione formæ, quia conditio requisita non potest esse aliud quam applicatio, seu conjunctio ad

passum, quæ illa forma se explicat, et communicat subiecto perfectiori modo, et antea tota illa forma, et principium formale in subiecto erat, sed non totaliter, ergo modus qui postea acquiritur non pertinet ad vim informativam, et novam rationem formalem ipsius formæ, sed ad novum modum, qui sit conditio tanquam communicatio, vel applicatio de novo illius formæ, quæ non solum sit tota in subiecto, sed totaliter, et modo perfectiori, sine qua conditio, seu applicatio forma non dat illum effectum perfectiorem, qui entitativus quidem est, sicut effectus formalis remissus, et antea præhabebatur in forma, quia tota ibi erat, sed non explicatur totaliter in subiecto.

Et sic intelligitur mens D. Thomæ qui perpetuo explicat intensionem formæ per novam explicationem ipsius in subiecto, non per additionem novæ vis informativæ: dicit enim: « Quod intensio fit per hoc, quod subiectum magis ac magis terminetur illa forma, et magis participet illam, et acquirat perfectum participationis modum, » ut I-II, q. LII, art. II: « Et per hoc quod subiectum magis reddatur in actu ipsius qualitatis, » ut q. I de Verit. art. XI: « Et per hoc quod forma magis educatur de imperfecto ad perfectum, » ut in I, distinct. XVII citata: « Et per hoc quod qualitas magis insit subiecto, et radicitur, » in II-II, quest. XXIV, art. IV ad 3. Quæ locutiones indicant modum aliquem applicantem diversimode formam subiecto, non tantem novam vim informativam, et mutantem rationem formalem.

Quod si quæras: Quomodo ista unio mutetur per intensionem non addita nova ratione formali informativa, ita quod ille modus sit nova unio et nova existentia, et inhærentia formæ in subiecto, respondetur quod unio

formæ cum subjecto requiritur ad duo. Primo, ut constituatur unum ex forma, et subjecto. Secundo, ut mediante tali unione et conjunctione, forma habeat esse in subjecto, quia ab illo dependet in existendo. Quantum ad hoc secundum non additur nova existentia ipsi qualitati, quia non additur nova entitas, sed tota entitas formæ jam præhabebatur in subjecto, et consequenter tota existentia, quia existentia sequitur ipsam entitatem ut productam extra causas, unde cum in nostra sententia tota entitas formæ sit in subjecto, etiamsi non sit totaliter, consequenter etiam si crescat per intensionem, non mutatur existentia, siquidem non mutatur entitas, et ita quantum ad hoc non mutatur unio, seu inhærentia in ratione medii dantis existentiam entitati formæ. Quantum vero ad unitatem, quam facit forma cum subjecto, in hoc crescit unio ipsa, seu perficitur, vel potius forma, quæ nova actione immutatur, ut subjectum afficiat, eo quod subjectum est in quadam potentialitate et indeterminatione ad multa, et secundum illam potest subijci diversis formis, aut eidem formæ non unico tantummodo et indivisibili, sed vel magis confuse et potentialiter, vel magis actualiter et determinate secundum reductionem ad majorem unitatem, et similitudinem cum forma. Et sic explicat D. Thomas dis. illa xxii citata radicationem istam per majorem reductionem ad unitatem, et ad diversum modum terminandi dissimilitudinem, seu confusionem, et potentialitatem subjecti ad actualitatem et unitatem formæ. Et hoc sufficienter fit per ipsam unionem, seu inhærentiam, quia ad unionem pertinet facere unitatem, et tollere confusionem, seu potentialitatem ad multa, quæ est opposita unitati, ergo tunc perfecte forma communicatur sub-

jecto, quando perfecta fuerit ista unitas per ipsam unionem, et hoc est magis radicari, id est, magis sibi subjicere potentialitatem subjecti, et ejus indeterminationem, seu confusionem ad majorem unitatem reducere ad modum radicis arboris, quæ quanto plus penetrat in terra, tanto firmiorem reddit arborem.

Sed dices: Unio ut diximus, quæst. vi Physic. non est modus medians inter formam et subjectum, ergo si major intensio consistit in majori unione, et illa non est modus, intensio non fiet per additionem modi, cum tamen S. Thomas expresse admittat modum in intensione, ut patet in I-II, quæst. lxx, art. II ad 2.

Respondetur unionem in nostra sententia non esse modum tanquam rationem, et medium formale uniendi, quia forma quæ secundum se est actus, secundum se habet rationem formalem faciendi unitatem, sive accidentalem, sive substantialem, prout ipsa forma fuerit, et sic quia unitas quæ resultat non est modalis, sed substantialis, vel accidentalis, ideo nec ratio formalis, nec medium uniendi est modus, sed forma ipsa. Non tamen negamus inveniri aliquem modum in unione antecedentem, vel subsequentem, quatenus extrema debent immutari, vel saltem unum extremorum, ut uniatur, et dependens fiat, et ad unitatem cum subjecto immutetur; ipsa etiam immutatio passive manens in ipso extremo unito est modus subsequens unionem, quod magis pertinet ad dependentiam seu statum, quem accipit ex vi unionis forma, quam ad rationem formalem, seu medium uniendi, pertinet tamen ad intensionem, quia intensio magis præbet statum formæ in communicando se, quam vim formalem informandi.

ARTICULUS III.

Expediuntur argumenta contra sententiam propositam.

Multi conantur D. Thomam in contrariam sententiam adducere, et præcipue fundatur in auctoritate illa, quam jam supra explicavimus, quando dicit in II-II, quæst. xxiv, art. IV ad 3, quæst. I de Virt. art. XI: « Quod propriam vocem ignorant, qui dicunt qualitatem intendi per radicationem, et non secundum essentiam, ergo vult S. Thomas quod intensio fiat per additionem entitatis non autem per solam radicationem. Sed jam hanc auctoritatem supra explicavimus, et de ea videndus est D. Thomas quodlib. IX, art. XIII, ubi inquit: « Cum dicimus charitatem secundum essentiam augeri, denotatur augmentum subjecti, ut sit sensus, ipsa essentia charitatis augetur, sicut cum dicimus album augetur secundum essentiam suam, non autem designatur forma specificans motum, ut sit sensus, augetur secundum essentiam, id est, augmentum ejus est motus in esse, vel in essentia, et sic dicitur augmentum esse secundum quantitatem. » Ecce quomodo D. Thomas interpretatur, quid sit augeri secundum essentiam, non quidem per additionem novæ entitatis, quasi motus augmenti sit ad novam entitatem sicut ad terminum, sed quia ipsa essentia est res quæ augetur. Nec obstat, quod aliquando negat D. Thomas charitatem augeri tanquam subjectum augmenti, negat enim quod charitas dicatur subjectum augmenti quasi inhærentis, et ut quod et sustentans, non tamen quod dicatur subjectum modificationis, quia ipsa forma est, quæ distincto modo explicatur et communicatur subjecto, et sic modificatur ipsa communicatione.

Minus obstat, quod adducitur ex D. Thoma III p. q. VII, a. XII, ubi expresse admittit dari gradus in calore, et consequenter intensio fiet per additionem gradus non per radicationem. Ac denique additur testimonium Philosophi IV Physic. tex. LXXXV, ubi inquit: « Quod sicut ex calido fit frigidum, et e contra, quia eadem quæ erat in potentia, sic et ex calido magis calidum. » Si ergo parificat Aristoteles educationem magis calidi ex minus, ipsi educationi calidi ex frigido, sicut hoc fit per novæ entitatis productionem, ita et illud. Nec sufficit eductio novi modi, quia hæc non potest intelligi in formis realibus, nisi per novam entitatem dependentem a subjecto, ergo ubi datur major eductio formæ, datur et productio entitatis.

Ad hæc facile respondetur, quod in primo loco D. Thomæ non intelligit nomine gradus novam entitatem additam entitati præcedenti, sed novam participationem ejusdem in subjecto, et hoc convenienter appellatur gradus, quia sicut anima per gradus quos habet diverso modo se explicat in materia, stante eadem entitate, et non omnibus partibus præbet eundem gradum, et formalem effectum, ita qualitas diverso modo explicat actualitatem suam subjecto; et diversus gradus non est diversa entitas formæ, sed eadem diverso modo se communicans, et effectus præbens.

Ad secundum locum dicitur, quod ex minus calido fit magis calidum sicut frigidum calidum, non quantum ad entitatem productam, sed quantum ad entitatem producendi, quia utrobique fit aliquid de novo, et habetur terminus a quo, et ad quem, sed tamen quando fit calidum simpliciter, fit ex potentia ad calidum, quando autem fit magis calidum ex minus calido non est in po-

tentia ad formam, sed ad modum participationis formæ ut S. Thomas dicit I-II, q. LIII, art. II ad 3. quod vero dicitur non dari educationem nisi sit productio, distinguo; educatio formæ quoad entitatem non est sine productione entitatis, concedo; educatio formæ quoad novam explanationem, et modum participationis in subjecto, non est sine productione entitatis, nego; solum enim est melioratio formæ eductæ, et solum productio modi, non entitatis formæ.

Secundo arguitur ratione: Quia intensio est motus realiter distinctus a prima productione qualitatis, et est vera alteratio, ergo debet producere realitatem distinctam a prima qualitate, et non solum aliquem modum, quia alteratio primo et per se est ad qualitatem et non ad modum, et quia virtus intensa ratione intensio habet majorem virtutem producendi, quam non intensa, quia producit perfectiores effectus, modus autem non est virtus, neque producit effectus reales, qui illi specialiter correspondeant. Nec denique potest dari novus modus inhærentiæ seu unionis, nisi addatur nova entitas inhærens, alias eadem entitas duplici inhærentia inhæreret, ergo oportet, quod id quod additur sit distincta entitas sicut est distinctus motus: ubi autem motus sunt realiter distincti, etiam termini realiter debent esse distincti, alias si esset eadem entitas, etiam motus inter se identificarentur, quia quæ sunt eadem realiter uni tertio, sunt eadem inter se. Confirmatur, quia alias si intensio non produceret qualitatem, sed modum posset per solam productionem modi qualitas produci, quod patet, quia motus intensio habet minimum, sed incipit secundum successionem, non per primum mutatum esse, sed per ultimum non esse, ergo si per intensio-

nem non producitur entitas, sed modus, potest per intensioem incipere qualitas ab ultimo non esse gradus, et ita tota qualitas incipiet per modos.

Respondetur intensioem esse motum realiter distinctum a prima productione qualitatis cum possit a diverso agente, et pro diverso tempore procedere, et similiter per se terminatur ad qualitatem tanquam vera alteratio, non tamen ad qualitatem absolute et entitative, sed ad qualitatem sub tali modo, scilicet ut perficiendam, et meliorandam, sicut transubstantiatio est actio ad corpus Christi, licet non producat illud absolute, sed sub novo modo; et in hoc differt intensio ab aliis motibus, quia in aliis acquiritur aliquid distinctum ab illo quod inerat, ut in augmentatione nova pars, in motu locali novum ubi, et locus; in qualitate vero id quod prius inerat melioratur, et perficitur. Unde non requiritur, quod novam formam producat, sed eandem sub perfectiori modo attingat: ad hoc autem, ut motus seu actiones distinguantur realiter, non requiritur quod termini sint realiter, et entitative distincti, quasi materialiter, sed sufficit, quod formaliter, alias omnis modus, qui producitur in subjecto, ut sessio, ubi, etc. non deberet distincta actione reali produci. Quando autem dicitur, quod *quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, in primis intelligitur quando sunt eadem uni tertio simul, et non pro diverso tempore. Deinde, quod sint eadem uni tertio re et ratione, id est, sub eadem ratione et formalitate, non eadem uni tertio, quasi materialiter, et secundum diversas formalitates, vel secundum quod aliquid est virtualiter multiplex, ut intelligit D. Thomas I part. q. XXVIII, art. III, alioquin multas habet instantias illud axioma. Quod vero addi-

tur qualitatem intensam ratione intensioem habere plures effectus reales, qui correspondent ei in quantum intensa, respondetur istos effectus non correspondere qualitati secundum se, neque soli modo intensioem superaddito, sed ipsi entitati reali formæ ut subest tali modo, et ideo ut aliqua virtus, vel forma producat novos effectus, non requiritur additio entitatis, sed sufficit eadem entitas secundum diversam formalitatem, et communicationem sui, sicut eadem anima secundum gradum sensitivum producit diversos effectus reales, quam secundum vegetativum, nec tamen requirit novam entitatem superaddi ad illos, sed eandem diverso modo communicari in materia. Quod vero dicitur, novam inhærentiam postulare novam entitatem, respondetur novam inhærentiam formæ non prohiberi in subjecto, novam quoque entitatem formæ postulare, formæ vero in subjecto præhabite non postulare novam entitatem, sed eandem novo participationis modo subjecto communicare, et sic non tam dat novam inhærentiam absolute, quam novam inhærentiæ terminationem, ut in ultimo argumento dicitur.

Ad confirmationem respondetur, quod si intensio non inveniat qualitatem in subjecto, sed illam primo producat, tunc non solum producit modum, sed etiam entitatem, si autem invenit qualitatem productam, solum novum modum superaddit, non novam entitatem, sicut transubstantiatio corporis Christi si non supponeret illud in rerum natura, substantialiter illud produceret, modo autem non producit illud, sed convertit panem in illud sub novo modo.

Tertio arguitur: Quia ubi est realis separatio est realis distinctio, sed separatur unus gradus ab alio, v. g. secundus a tertio, vel a quarto, ut

patet in remissione qualitatis, ergo isti gradus realiter distinguuntur, et præsertim cum videamus quod continuatio calefactionis est similis primæ productioni, et ejusdem speciei, et vera ac propria actio, et mutatio, ergo realem terminum, et entitatem postulat, nec enim est mutatio sine novitate, neque actio sine termino producto. Confirmatur, quia activitas virtutis agentis fit major per additionem partium, et multitudinem formæ, sicut ferrum candens activius agit, quam flamma stuppe, ergo etiam intensio fiet per additionem partium, siquidem illa est intensio quæ facit virtutem aliquam magis activam.

Respondetur gradus nunquam separari a qualitate, sed qualitatem ab illis, id est, a quolibet eorum seorsum, licet non a tota collectione, quod est signum distinctionis modalis, sicut corpus separatur a quolibet situ, vel ubi, nullum vero ubi a corpore. Quod vero dicitur de continuatione calefactionis, respondetur quod continuatur ratione ipsius qualitatis seu formæ participatæ, et sic est actio ejusdem rationis cum prima productione qualitatis, est tamen diversa ex parte modi participationis; et ad talem modum producendum requiritur distincta actio et mutatio realis, nam etiam modi per realem actionem producuntur ut diximus, sicut ubi et situs, et alii similes, et sic talis mutatio est cum novitate essendi saltem in modo qui est terminus productus. Ad confirmationem dicemus quæstione sequenti agendo de actione, et reactione, et in quæst. VII, agendo de densitate, ubi ostendemus, quod ratione densitatis, seu multitudinis partium, non datur major intensio qualitatis nisi occasione illarum partium agens producat intensiorem qualitatem, de se enim multitudo partium solum conducit ad

conditiones activitatis, scilicet ut velocius, vel perfectiori applicatione agens operetur, quibus tamen conditionibus positus potest agens perfectiorem, et intensiorem qualitatem producere, ut ibidem latius dicemus.

Quarto arguitur: Quia non potest intensio fieri secundum perfectiorem modum unionis, vel inhærentiæ, ergo debet consistere in aliqua additione novæ entitatis. Antecedens probatur, quia unio et inhærentia qualitatis non est divisibilis, sed semper eadem, quia naturaliter inhæret subjecto, et sic inhæret quantum potest; similiter tota inhæret, et unitur, ergo non apparet quomodo crescere possit ista unio, præsertim quando entitas qualitatis est indivisibilis, ut qualitas spiritualis, et in eodem subjecto indivisibili intenditur. Deinde, quia in ipsa remissione non apparet a quo producatur minor illa unio seu radicatio caloris, nam quando calor ut sex remittitur usque ad duo, non est a quo producatur unio caloris ut duo, non ab agente remittente, v. g. ab aqua remittente calorem, cum potius sit agens contrarium, quod non potest producere calorem ut duo, nec ab aliquo alio agenti, v. g. igne vel aere, quia in illam remissionem non habent influxum, si sit casus quod tunc non detur ignis approximatus, sed solum aqua remittens. Et præterea, si quilibet modus gradualis, v. g. ut duo vel ut quatuor esset indivisibilis, tunc si remittitur, aut tota illa unio perit, aut nihil, si tota perit, remissio erit corruptio, quia pereunte tota unione perit tota forma unita, si nihil est intensum. Et confirmatur, quia si intensio consistit in majori unione, ergo qualitas ut intensa, non poterit separari a subjecto, siquidem stante unione non potest separari, sed remota, ergo si intensio consistit in unione, ut in-

tensa, non poterit separari, et sic si Deus separaret albedinem nivis et albedinem hominis, illa non esset perfectior ista.

Respondetur unionem illam habere aliquam latitudinem, sicut supra pluribus exemplis monstratum est. Et cum dicitur, quod inhæret naturaliter quantum potest, distinguo; quantum potest juxta exigentiam subjecti, et dispositionem agentis, concedo; quantum potest absolute ex vi formæ, nego. Et quia exiguntur tales dispositiones ut qualitas intensa sit, ideo naturalis illa unio semper facit quantum potest juxta exigentiam subjecti, et capacitatem; remotis autem omnibus impedimentis et posita dispositione requisita ex parte agentis et passi, non stat qualitatem non intendi, et ista intensio tunc non fit sine intrinseca perfectione qualitatis, quia ipse ordo participationis ad subjectum sic dispositum, aliquid intrinsecum est qualitati.

Ad aliam partem argumenti, a quo producatur gradus remissior remoto agente intendente, dico quod procedit a duplici causa, una per accidens, scilicet ab impediendo perfectiorem illum et intensionem modum unionis, quatenus redditur subjectum indispositum, et inhabile sicut qui tollit dispositiones et anima sit in corpore, occidit hominem. Alia causa est per se, scilicet ipsamet forma ex qua emanat ille motus remissior ex vi prioris actionis, quæ unita fuit subjecto ab agente a quo fuit producta, quæ actio producentis, licet formaliter modo non detur, virtualiter tamen manente forma producta quæ fuit terminus ejus, taliter enim fuit unita subjecto, fortiore illa et perfectiore unione, quod virtualiter retinet unionem inferiorum, et remissiorum, si dispositiones ad perfectiorem tollantur, eo quod minus perfectum virtualiter conti-

netur in magis perfecto, sicut si tollatur punctum terminans lineam, resultat aliud ex vi prioris productionis quantitatis: isti autem modi intensionis quasitimationes quædam sunt, quibus forma magis terminat, et subjicit sibi potentialitatem subjecti, determinatur autem, ut resultat potius gradus iste, quam ille, verbi gratia, ut duo vel ut tria juxta majus vel minus impedimentum oppositi agentis, et dispositionem subjecti.

Denique, ad id quod additur de illo modo si est indivisibilis, respondetur quod illa unio est indivisibilis entitative, sicut et ipsa forma, divisibilis autem virtualiter, quia ut supra diximus, secundum unitatem, quam facit forma cum subjecto, et actualitatem, qua illud reducit ad sui similitudinem, habet illa unio crescere magis et minus, eo quod licet forma sit tota unita, sed non totaliter, et sic bene stat quod entitative sit indivisibilis, respective autem divisibilis seu virtualiter, quia non sub omni respectu, et formalitate, qua participari potest, forma est unita, etiamsi tota unita sit, ut statim magis explicabimus in sequenti argumento.

Ad confirmationem respondetur, quod qualitas intensa separari potest, et dicitur intensa non ratione unionis actualis ad subjectum, ista enim destruitur facta separatione, sed ratione ordinis et habitudinis ad subjectum cui inesse petit non quomodocumque, sed cum tali vel tali modo participationis, qui pertinet ad intensionem qualitatis. Unde sicut in accidente separato non manet inhærentia in actu, sed in aptitudine, qua respicit subjectum cui debetur, et iste respectus non est in potentia, sed in actu in ipso accidente separato, licet inhærentia ipsa non sit in actu, ita remanet respectus talis, vel talis modi inhærentiæ

secundum quem fit intensio, et licet actu non habeat illam unionem, actu tamen habet respectum, et aptitudinem ut sic uniat, et ratione illius dicitur actu intensa per ordinem ad subjectum non cui actu unitur, sed quod actu respicit, et quod ei debetur, ut uni actui tali modo.

Ultimo arguitur: Quia per hoc quod fiat intensio per istam radicacionem non evitamus inconvenientia alterius sententiæ quæ ponit per additionem partium, nam vel ponimus plures uniones eadem forma quæ sic radicatur, et explicatur in subjecto, vel unicam: si plures, ergo jam admittimus in eodem subjecto plures modos numero diversos, quod in alia sententiâ evitare intendimus, ne ponat plura accidentia numero distincta in eodem subjecto. Si unicam vel est divisibilis, vel indivisibilis, ergo facta intensione, vel remissione, quælibet unio corrumpetur, cum intensio consistat in majori unione, et consequenter corrumpit minorem, et si est divisibilis totam corrumpit, corrupta autem unione corrumpitur forma unita, et sic incidemus in illam sententiâ quæ dicebat intensionem fieri per corruptionem unius partis, et additionem alterius. Et deinde, si quilibet motus intensionis est indivisibilis, ergo non potest terminare motum intensionis, quia motus non solum requirit indivisibilia, sed etiam partes, cum motus sit divisibilis. Nec potest dici, quod unio entitativa est indivisibilis, et virtualiter divisibilis: nam cum ipsa qualitas dicatur intendi penes modos, et non penes entitatem, et istos modos dicimus esse uniones, ergo in ipsis debemus ponere divisibilitatem, et latitudinem; si autem ponimus, quod entitative sunt indivisibiles, et virtualiter divisibiles, rursum restabit alius modus talis unionis,

quo divisibilis reddatur, et de illo rursus fiet idem argumentum an sit divisibilis, vel indivisibilis et sic in infinitum. Si vero dicatur unionem esse divisibilem per partes, ruit fundamentum nostræ sententiæ, jam enim ponimus partes in unione, et ita si in illa non repugnat non obstante individuatione ejus in eadem parte subjecti, cur repugnabit diversas partes qualitatis dari in eadem parte subjecti? Imo hinc deducitur argumentum contra nostram sententiam, quia per motum intensionis non solum acquiruntur indivisibilia, sed etiam partes secundum distantiam, et latitudinem quam habet. Postquam ergo acquisivit gradum ut duo verbi gratia, immediate post non potest acquirere aliquid indivisibile, sed divisibile: illud ergo divisibile, vel est pars modi, vel qualitatis, si qualitatis, habemus intentum; si modi, ergo modus est divisibilis, et consequenter etiam res unita.

Respondetur unionem qualitatis intensionis esse unicam, et eandem entitative, sicut et ipsa forma unita, cui omnino proportionatur, esse autem divisibilem terminative, et respective, quatenus facit majorem, vel minorem unitatem subjecti, cum forma, eo quod magis illi assimilatur, et tollitur confusio potentialitatis, quæ est in subjecto ad plura et reducitur ad majorem subjectionem ad ipsam formam, quod est facere majorem unitatem, et convenientiam cum illa. Ut enim supra diximus duos effectus sortitur forma ex unione, primus est habere existentiam dependentem a subjecto cui unitur, et quantum ad hoc diximus non variatur unio, quia existentia sequitur ipsam entitatem formæ, quæ entitas indivisibiliter est eadem ut dictum est: secundus effectus est facere unitatem, et conve-

nientiam cum subjecto, et in hoc admittit latitudinem, non in ipsa entitate unionis, quæ non distinguitur a forma, sed in ipsa terminatione et respectu majoris convenientiæ. Neque hoc est dare modum modi, vel procedere in infinitum, sed ipsa qualitas unita diversimode perficitur in unitate, quam facit unio quantum ad ejus terminationem qua fit major convenientia ejus cum subjecto reducendo confusionem potentialitatis ad unitatem formæ; et sic non restat alius modus unionis, sed alius effectus ipsius unionis secundum diversam terminationem ad subjectum, et diversam unitatem, quam facit cum illo, et in hac terminatione, seu effecta participationis, et convenientiæ unio illa divisibilis est, et hoc est virtualiter esse divisibilem, id est, ratione effectus, et terminationis, entitative autem esse divisibilem, id est, ex parte entitatis, seu formæ unitæ. In istis autem effectibus, seu terminationibus non est dare plures simul in subjecto, sed successive, quia cum intenditur qualitas, destruitur præcedens terminatio gradus remissi, et acquiritur nova, quæ perfectior est, et continet totam rationem præcedentis gradus, sicut figura tetragonum continet trigonum, id est, figura sex angulorum figuram trium, et sicut in quantitate quando crescit, destruitur præcedens terminatio, et inducitur nova, non autem duæ terminationes sunt simul, nec duæ figuræ, et sic nunquam salvatur quod duo modi, vel duæ terminationes solo numero distinctæ sint simul eadem parte subjecti.

Ad instantiam quæ fit ex parte motus intensionis, respondetur quod licet qualibet terminatio gradualis sit indivisibilis, tamen inter unam terminationem, et aliam datur transitus per modum latitudinis,

et distantie in fieri, non quia sint partes qualitatis acquirendæ inter modum et modum, sed quia ipse modus, qui acquiritur dum est in fieri, est per modum divisibilem, dum est in facto esse, est per modum indivisibilem, sicut in motu locali, mutatum esse est indivisibile, et inter duo mutata esse non dantur partes permanentes, sed fluxus et fieri, quod per mutatum esse terminatur, et constituitur in facto esse, nec enim proceditur de uno indivisibili ad aliud immediate, sed mediante fluxu et fieri, quod habet latitudinem vincendam. Quare non oportet ad motum sive localem, sive alterationis assignare plures uniones partiales, nec plures partes qualitatis permanentes et in facto esse simul, sed solum in fieri, et tendentia, qua de uno termino, et mutato esse transitur ad aliud per fluxum, et tendentiam, et cum datur alteratio in qualitate de uno extremo ad aliud, seu de qualitate unius speciei ad aliam, et transitur per diversas species medias, inter quamlibet speciem mediam datur motus, et tamen non acquiruntur partes intermedie, sed de una specie fit transitus ad aliam, medium autem non est species aliqua partialis, quæ ibi inveniatur, sed ipsum fieri qualitatis, et fluxus, tendens de uno extremo ad aliud est latitudo ipsa vincenda per motum, quia inter quodlibet factum esse datur fieri. Si ergo non est necesse in intensione signare indivisibilia, et partes entitativas permanentes, quarum una addatur ad aliam, et componat cum alia, sed sufficit dari transitum successivum, et fluxum, seu fieri de una terminatione ad aliam: sicut cum in quantitate tollitur una superficies terminans, et transitur ad aliam, immediate post non invenitur terminatio, siquidem immediate post sequitur pars, sed invenitur tendentia ad ter-

minationem, id est, ad aliam superficiem. Quæ vero ab oppositæ sententiæ Auctoribus de partibus permanentibus qualitatis, et indivisibilibus eas unientibus dicuntur, est facere qualitatem sicut continuum, et ad modum augmenti extensivi quantitatis, sicut D. Thomas dixit imaginari eos qui qualitatem per additionem augeri putant in I, dist. XVII, quæst. II, artic. II.

QUÆSTIO V.

DE ACTIONE, ET REACTIONE.

De actione, et reactione agit Aristoteles a capite sexto hujus libri usque ad decimum. Nos autem agimus de illa immediate post tractatum de intensione, quia reactio, et repassio est generalis quedam conditio in alterationibus physicis, et ad corruptionem tendentibus, mixtio autem et similiter condensatio, et rarefactio sunt alterationes minus generaliter convenientes, et ideo de illis agemus post actionem, et reactionem.

ARTICULUS I.

Utrum aliquid possit agere in se ipsum saltem per accidens?

Hæc est prima conditio requisita ad actionem, et reactionem, scilicet ut non sit identitas inter agens et passum, et quod talis conditio requiratur ad agendum per se, et directe in aliquod passum tractavimus VII Physic. q. XXII, an vero saltem per accidens, et quasi consecutive possit aliquid agere in se ipsum, quod scilicet agendo in aliud reflectitur ad se ipsum, in præsentia tractabimus; hoc enim fit, vel per reflexionem, vel per anUPER-